



111. 15

HISTORIA  
SCHOLAE DVCALIS  
VVOLFENBUTTELENSIS.

---

DIATRIBE I.

---

QVA

AD

PANEGYRIN SCHOLASTICAM

IN ATHENAEI NOSTRI INAVGVRATI

MEMORIAM

KALENDIS MAII HOR. III. POMER. MDGCL

INSTITVENDAM

MELIORIBVS LITTERIS FAVENTES

OFFICIOSE INVITAT

IOAN. CHRISTOPH. DOMMERICH

PHIL. DOCT. INCLIT. ORD. PHILOS. IN ALMA IVLIA CAROLINA

ADIVNCT. ET SCHOLAE VVOLFENBUTTE-

LENESIS RECTOR.

---

VVOLFENBUTTELI LITTERIS BARTSCHIANIS.

HISTORI  
BCHOLAR BAGAFIS  
ADOLEXASATTELENSIS


DIAOGRA

649

MAGISTERIUS HONORIS  
IN UNIVERSITATE MOLDAVIAE

KOEN FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE





cholarum historias rei litterariæ, eiusque notitiae inseruire multum, variis euinci facile potest argumentis. Quod si enim litterarum æque fata, atque eruditorum vitæ historiæ litterariæ consti-  
tuunt partem palmariam, (a) quod vel eius limen transgressus infitias ibit nemo: ne dubitari quidem potest, scholarum historias maximo illi esse usui. Ex his enim, quæ disciplinarum fuerint diuersis temporibus mutationes, quomodo eruditi ad solidam peruerenter doctrinam, satis videre est. Tot virorum celeberrimorum exstant exempla, quæ idem probant. Nisi enim hi, ex scholarum hilo-  
riis litterariam rem publicam multum capere utilitatis, et qui-  
dem recte, sibi persuasissent: lucubrations suas illis non im-

) : ( 2

pen-

---

(a) Consentient in hoc quotquot Historiæ litterariæ adæquatum de-  
derunt conceptum. vid. IAC FRID REIMMANNI *Histor. Litter.* P. I.  
p. 3 GOTTL. STOLLES *Anleitung zur Historie der Gelahrtheit* p. 3.  
S. V. HEVMANNVS in *Consp. Reip. Litt.* cap. I. §. 1. et c. II. §. VIII.  
dicit: *scholarum historiam membrum esse litterarie historiae.* S. V. PFAF-  
FIVS in *Introd. in Histor. Theol. Litter.* §. 2. p. 2. et BVRC, GOTTH.  
STRVVIUS *Introd. in Notit. Rei Litter.* c. I. §. 5. p. m. 5.

## IV.

pendissent. Nec illorum spes decollauit. Communi enim adplausu eiusmodi scripta fuere excepta, omnibusque maectata laudibus. Idque suo quasi iure. Sunt autem illa varii generis. Plurium enim scholarum vel continent historiam, vel vnius tantum. Inter illa laude nostra non indigent, iam satis ab aliis laudata, GODOFREDI LUDOVICI *Historia Gymnasiorum Scholarumque celebriorum*, (b) nec non celeb. M. IO. GOTTL. BIDERMANNI *Acta scholastica*. (c) Duumiri enim hi, de re scholastica scriptis his suis optime meriti, non atati solum suæ, sed maioribus æque ac posteris optima præstiterunt officia. Horum autem numerus iniri vix potest, qui de singulis scholis scripserunt. Ex tanta virorum, de scholis optime meritorum, multitudine BECKMANNVS, (d) BVNEMANNVS, (e) BVRCKHARDVS, (f) CVNO, (g) FEVERLINVS, (h) GEBHARDI, (i) HEVMANNVS, (k) HEVSINGERVS, (l) IKENIVS, (m) LUDOVICI, (n) MARCARDVS, (o) OTTO, (p) VVEISIVS (q) mihi iam in mentem veniunt, quorum scripta passim occurunt.

Ho-

- 
- (b) Quinque prodierunt eius partes in 8vo. Lips. 1708-1718. (c) Octo Actorum scholast. foras data sunt volumina in 8. quæ *Nova Acta scholastica* postea excepérunt, quorum primum volumen, cum aliquot secundi partibus, iam quoque absolutum est. (d) CHRIST. BECKMANN *Scholæ Hannoveranae Doctrin. et Discipl.* emisit a. 1599. Eiusque Lect. et Exercitia a. 1604. (e) *Initia Gymnasi Mindensi* scripsit. Mindæ 1730. (f) de Argentinensis Scholæ laudibus. Hildb. 1715. (g) Recl. Scheining. Enarr. Hist. 1737. et Memorabil. Scheining. c. III. et Append. (h) IO. CONR. FEVERLINVS de fatis Gymnas. Egidiani Norimbergensis. 1699. (i) de Orig. et Incrementis Gym. Martin. Brunsuic. 1695. (k) Varia Progr. de Historia Pædag. Goett. (l) de Gymnasio Isenacensi varia Progr. (m) de Bremensium Schola magnorum Ingeniorum, summorumque in omni scientia virorum alma ac secunda Matre 1741. (n) de Gymnas. Casim. Cob. Fasc. III. 1714-1723. (o) Rectorum Cellensium Nomenclatura Cell. 1717. (p) de Arnstadiensi

Horum ego exempla securtus, pro munera mei præsentis ratione, bono cum Deo, iam facio initium, ducalis nostræ Vuolfenbuttelensis conscribere historiam. Parum, vel nihil de illa litteris huc usque esse mandatum, miror. (r) Nam præter aliquot programmata, eaque breuissima, quæ de schola nostra agunt, a doctissimo olim huius scholæ Restore, FRID. VVEICHMANNO edita, (s) et ea, quæ consultissimus ac doctissimus RVD. AVG. NOLTENIUS tam in b. *Vuolte-reccii Chronicō castri Vuoltenbuttelensis*, (t) quam in schedi-asmate epistolico de scriptis nonnullorum scholæ Guelpherbytanæ Collegarum notabilioribus, (u) de schola nostra notauit, ac tandem s. v. D. HASSELIUS, scholæ nostræ Ephorus grauissimus, de eius Collegis *Actis scholasticis* ex ecclesiæ nostraræ tabulis inseri curauit, (x) nihil mihi huc usque typis exscriptum innotuit.

Singulari autem Serenissimi nostri Ducis CAROLI gratiæ debeo, litteris indulgentissimis, pro eo, quo est in litteras propensissimo animo, mihi declaratæ, quod ex *Historia Vuoltenbuttelensis castri, urbis et vicinie Msta* celeber.

): ( 3

olim

---

*fladiensi Schola. Progr. IV. 1737.* (q) de Ortu et Progr. Scholariorum per Lusat. superiorem. Zitt. 1686. (r) Hinc Excellentissimus Dn. Vice Cancellarius DE PRAVN, urbis nostræ decus, optimarum literarum stator atque assertor, in sua Bibliotheca Brunsvico Luneburgensi c. XVIII. Sect. VII. p. 489. de schola nostra præter leges, præceptores concernentes, quas suo loco inseremus, nihil notat. (s) Progr. de Serenissimorum Ducum Brunsuicensium in scholam suam Wolffenbuttelanam meritis. Vuolff 1704. in fol. et Progr. Inaugur. noui scholast. edif. premisum 1705. f. pat. (t) Chronicum der Stadt vnd Vestung Vuolffenbüttel. p. 723. sequ. (u) Helmstad. 1743. in 4. 2 plag. (x) v. *Aet. schol. Vol. VI. P. IV. p. 389. sequ.* (y) vid.

## VI.

olim huius Lycei Rectoris M. IOAN. REISKII quædam, quæ  
huc faciunt, in medium proferre licuerit. In eo iam sum,  
vt Historiæ huius generalem conspectum in vita Auctoris,  
propemodum publicanda, clementissima venia impetrata,  
exhibeam. Quæ in illa ad schoiam nostram spectant, in  
**PHIL. IVL. REHTMEIERI Chronic. Brunsuic.** ex eodem hoc Msto,  
vti Auctor ipse indicat, typis exscripta offendit.

His qualibuscumque subsidiis suffultus ego, ex schedulis  
mstis varia adhuc collegi, vnde Scholæ nostræ continuam  
contexere Historiam mihi posse videor. Sequar in illa con-  
scribenda hunc ordinem, vt, quid ab eius incunabulis sub  
quouis Principe in illa gestum sit, paucis exponam. Non  
solum beneficia a Serenissimis Brunsuicensium Ducibus ipfi  
collata, commemorabo, sed et de docentibus, quantum  
constat, proponam. Quæ temporis tractu in illa fuerint  
tractata, quibus gauisa sit legibus, ac sollemnitatibus, suo  
quodque tempore enarrabo. Ita enim fore arbitror, vt  
scriptum hoc meum non omni destituatur vtilitate.

Quod si ergo ad Scholæ nostræ primordia descendere vo-  
luerimus: illam cum hac nostra vrbe condita ortum suum  
cepisse, tam certum est, quam quod certissimum. Paucis  
ergo vt vrbis nostræ originem explicemus, opus erit. *Echter-*  
*tus, Dux Saxoniæ, ac Thuringiæ postea Marchio, sæculo XI.*  
*anno nimirum MXXXXVI. arcem hic quamdam exstruc-*  
*(y) quam Vuulferbütle dixit. (z) Præposuit illi certos dy-*  
*nastas,*

---

(y) vid. ALGERMANNVS in Originibus Domi Brunsuic. et REINERVS  
REINECCIVS in Comment. de Saxon. Origin. ab HENR. MEIBOMIO  
edita, nec non Chron. Vct. Duc. Brunsuic. et Luneb. in LEIBNITII Scri-  
ptoribus Rer. Brunsuic. Tom. II. p. 16. cum Bothonis Chronicō Bruns-  
uic.

naftas, qui deinde *nobiles Domini de Vuulferbutle* dicti sunt, quos Cæsar quoque magnis beneficiis feudalibus cumulauit. Primus illorum, cuius in Historia mentio fit, *Wedekindus de Vuulferbutle* dictus est, cuius familia postea castrum hoc tenuit. (a) Cum vero nobiles hi Domini sæpius in Principes suos committerent, illorumque partes nefario modo desererent, castrum illorum iterum iterumque fuit eversum: donec sæculo **XIII** a Serenissimis Ducibus Brunsuicensibus acquireretur, qui sedem hic suam primo temporariam, deinde perpetuam fixerunt. Serenissimus Princeps *Henricus Iunior*, varia fortuna exagitatus, vallis, propugnaculis, fossis, & moenibus huius castri restaurandis curam non insumisit solum, sed urbem quoque nouam, Neopolin (*Neustadt*) dictam, addidit. Fuit hæc illa urbis nostræ regio, quæ arci proxime adiacet, ubi, qui aulæ ministrabant, sibi ædificia quædam primum extruenda curasse videntur. Vocatur hæc regio hodie *der grosse und kleine Zimmerhof*. Parua igitur hæc nostra urbs habuit primordia. Fuerunt tamen iam hoc tempore consules & senatores, qui ciuibus ius dicebant, ut ex priuilegiis, ab Henrico Iun. illis a. **MDLXVII.** datis, constat. (b) Addictissimus insuper fuit fortissimus

*vic. picturato in LEIBNITII Script. Rerum Brunsuic. T. III. p. 330.*  
*Fallit ergo Chronicon Stederburgense, in quo ita scribitur: Anno Do-*  
*mini MCCLXXXIII. Dux circa messem incepit ædificare castrum Vuol-*  
*ferbutle: nisi hæc de reparatione aut amplificatione huius castri*  
*quis intelligere velit.* V. LEIBNITII Script. Rerum Brunsuic. T. I.  
*p. 868. (z) erudite æque ac fufe hæc docet cel. REISKVS in Hist.*  
*Vuolf. Msta. C. VII. § 7. De Vuolffenbuteli nomine vid. Eiusdem Com-*  
*mentatio de Vuolf. nomine. Vuolf. 1699. in 4. 1. plag. quæ ex eius*  
*Historia Msta tota desumpta est. (a) vid. LEIBNITII Scriptor. Re-*  
*rum Brunsuic. T. II. p. 16. et T. III. p. 36. (b) vid. Append. ad*  
*III. Col.*

### VIII.

fimus Dux Papæ, eiusque sectæ, & quois modo ecclesiarum repurgationi obicem ponere studuit. Hinc neque de schola, in noua vrbe constituenda, cogitauit. Tunc temporis enim eruditio & litterarum cultura in solis fere monasteriis harum terrarum, quorum sat magna erat copia, Ludgeriano prope Helmstadium, Riddagshusano, Mariæuallenſi, Amelungsborenſi, Laurentiano ad Scheningam & aliis tractabantur.

Mortuo vero *Henrico Iuniori* cum filius e tribus superstes *D. Iulius* anno MDLXVIII succederet: longe aliam vrbs nostra induit faciem. Is enim illam non solum amplificauit, sed omnia quoque artium, rerumque necessariarum genera inuexit. Nouæ vrbi, cui a patre suo, primo eius auctore, *Henricopoleos* nomen dederat, priuilegia contulit, quorum Cæfaream impetravit concessionem. (c)

Quantum terræ nostræ incomparabili huic Principi debeat, in vulgus notum est. Is enim, papali iugo abiecto, puriori sanctiori doctrinæ non ipse solum dederat nomen, sed de illa, in terris suis propaganda, quam maxime etiam erat sollicitus. Sciuit sane sagacissimus Princeps optimo id tunc futurum modo, si de scholis, in ditione sua erigendis, cogitaret. Primam ergo hanc suam voluit esse curam, vt in Henricopoli nostra scholam conderet, bonæ mentis officinam. Sub regiminis statim auspiciis id factum esse ex *Agendorum ecclesiasticorum volumine* constat. In illo enim anno, emortualem *Henrici Iunoris* proxime secuto, Kalendis Ianuarii ai. MDLXIX publicato, Scholæ Vuolfenbuttelenſis iam fit mentio. (d)

Quod

---

III. Collect. Stat. Henricopol. p. 15. 18. Vuolf. Ao. 1738. (c) Ao. 1570. hæc privilegia dedit, quorum confirmatio ab Imp. Rudolpho II. Ao. 1578. secula est. vid. Append. III. Coll. Stat. Henricop. p. 17. 20. sequ. (d) vid. Herzog Iulius Kirchenordnung. Vuolfenbuttel Anno 1569. 4. p. 335. quæ editio admodum est rara.

(e) vid.

Quod si ergo annum huius phrontisterii natalem consti-  
tuere voluerimus, erit ille annus MDLXVIII, & ultimum qui-  
dem huius anni semestre. Deceperat enim gloriosissimæ  
memoriae Princeps Henricus Iunior d. XI. Iunii huius anni. (e)  
Si igitur ab antiquitate schola quid nominis lucratur, nulli  
certe nostra cedit, vetustatis gratia, si qua umquam, com-  
mendanda.

Obseruauimus quidem in VVOLTERECCII Chronico, a cla-  
rissimo NOLTENIO edito, quorundam ab anno MDXLIII  
Rectorum enarrari nomina. Sed haec nos a sententia nostra  
non abduxerunt, præsertim cum nullorum aliorum Collega-  
rum ab hisce annis fiat mentio, quæ anno MDLXVIII tam-  
dem reperitur. Si qua ergo in ædis nostræ tabulario inuenit  
Rectorum nomina, quæ hic citauit, hos non scholæ, sed  
ædis Rectores fuisse arbitramur. Constat enim ex moni-  
mentis antiquis huius castri et vrbis, diu iam ante urbem  
hanc conditam fuisse hic capellam quamdam, cuius Antistiti-  
tes *Rectoris* nomine fuere insigniti. Id quod ex diplomati-  
bus membraneis, in ædis nostræ archiuo obuiis, satis super-  
que demonstrari potest. (f)

Stat ergo firma sententia haec, scholam nostram D.  
):( ):( IVLIO

(e) vid IOAN. HVBNERS Geneal. Tab. Tab. 188. (f) Aut si hanc  
sententiam quis minus veritati consentaneam putaret, Iudicagi-  
stros fuisse existimamus, qui Henrici Iun. temporibus, cum hic  
iam ciuitas adesset, ut supra indicauimus, iuuentutem erudiue-  
runt. Consult. enim VVOLTERECCIVS in schedulis suis historicis ac-  
curatissimus, hanc ædis & scholæ Rectorum differentiam optime  
habuit perspectam, ita ut illos non facile confundisse arguendus  
sit. Fuere autem illi Christophorus quidam, cuius cognomen latet  
annis 1543, 1544, & Steph. Gebhardus a. 1546. reliquorum nulla ex-  
stat

## X.

IVLIO originem suam debere. Neque parum laudis inde illi accrescit, quod tantum Principem, cuius memoriam nulla delectat ætas, habeat fundatorem ac statorem.

Quia vero vrbs nostra tunc temporis non ita copiosa erat & ampla : neque tot fuere scholæ collegæ, vt nunc sunt. Omne enim initium paruum. Tres tantum constituit præceptores , atque adeo tres tantum discentium ordines. Rectorem, Correctorem & Cantorem. (g) Quibus, si per paucos annos institutioni suæ commissos dextre erudiuiissent, e puluere scholastico ad munera alia adspirare licuit. Nullum hac de re potest esse dubium, si consideremus, intra decem circiter annos ex terno isto collegarum ordine sex præceptores ad scholam accesisse, rursumque ab ea fuisse euocatos. Dignum ergo Serenissimus Princeps laborum scholasticorum statuit præmium.

Neque hoc silentio prætereundum, quod ad scholæ nostræ honorem maxime spectat. Cum enim D. IVLIVS in coenobii, oppidis & alibi ludos litterarios condidisset, & liberalium artium palæstras vbique fundasset, hoc simil perpetuo mandato constituere voluit, vt, qui in illas palæstras ad iuuentutem erudiendam essent mittendi, in hac Vuolffenbuttelensi schola, ab eius Rectore examinati, eruditionis suæ prius specimen ederent. (h) Id quod hodie adhuc moris & exercitii est. Voluit ergo Serenissimus Princeps, vt hæc nostra schola præcipua, & principalis totius Ducatus esset, (i) sicuti hæc vrbs Serenissimorum Ducum Brunsuicensium fuit, atque etiam nunc est, sedes illustris.

Quæ

---

stat memoria. (g) vid. REISKII Hist. Vuolf. MSta C. XXI. § 9. & REHTMEIERI Chron. Brunsuic. p. III. c. LXIII. p. 1112. (h) vid. Agend. Eccles. Helmst. 1615. p. 309. (i) vid. D. AVGUSTI Schulord-

nung

Quæ tunc temporis in schola hac nostra fuerint tractata,  
ex agendis ecclesiasticis satis videre est, in quibus de lectioni-  
bus in scholis tractandis optime statuitur. (k)

Quod ad doctores sub hoc Principe attinet, quantum  
de illis constat, Rectoris obiere munia *Erhardus Grosius* ab  
anno circiter 1568 - 1572. *M. Christoph. Gundermannus* ab anno  
1572 - 1574. *M. Ioan. Silvius* ab anno 1574 - 1577. *M. Paulus*  
*Riegemannus* ab anno 1578 - 1580, quo *Borgdorfiensis* ecclesiæ  
antistes factus est. *M. Ioan. Struuius* ab 1580 - 1582, quo Dia-  
conatum in hac nostra ecclesia suscepit. *M. Ioan. Hampius* ab  
1582 - 1586. *Henricus Schlüterus* (l) Ex huius temporis Con-  
rectoribus præter *Ioannem Platium* (m) ab anno 1583 - 1585.  
*M. Conradum Papium* (n) ab anno 1585 - 1588. & *Henricum*  
*Schlüterum*, qui postea ad Recturam accessit, nulli constant.  
Cantoris officio functi hisce temporibus sunt *Georgius Boden-*  
*dorius* ab anno 1568 - 1572. *Bernhardus quidam*, cuius co-  
gnomen latet a. 1573. *Ioan. Niehausius* anno 1573. *Simon*  
*Rustenus* ab anno 1577 - 1580. *Thomas Cothenus* ab 1580 -  
1582. *Hartmannus Crusius* ab 1583 - 1586. *Paulus Trefen-*  
*stedtus* & *Michael Eichlerus*.

Notauit quoque b. *VVOLTERECCIVS Baccalaureos* quosdam  
ab anno 1568, qui procul dubio tamquam Collaboratores ope-  
ram suam scholæ nostræ nauarunt. Moris enim adhuc est  
Helmstadii & Scheningæ, vt inferiores scholarum Collegæ Bac-  
calaurei dicantur. Fuerunt autem hi *Henricus Seldenhemius*

):(: (: 2

ao.

---

*mung* anno 1651. p. 13. (k) *de Scholis Cap. ed. 1615. p 283 seq.*  
(l) quis ab anno 1587 - 1598. Recturam hic gesserit ex ædis no-  
stræ tabulario non constat. Sed ex ecclesiæ tabulis suppleri pos-  
sunt. (m) scribitur etiam *Platzius*. (n) vltra biennium officio  
suo

## XII.

ao. 1568. *Ionas Traubothe* ao. 1569. *Eberhardus* ao. 1573.  
*Henricus Masius* ao. 1580. *Hartmann Crusius* ao. 1581-1583.  
& *Ioan. Choræander* anno 1585. Scholam igitur nostram,  
cum D. *Iulium* genitorem suum veneretur, (o) iure filiolam  
eius dicimus, quam semper quoque ita dilexit, vt & in illam  
quadrent, quæ de Academia Iulia, a se fundata, dicere solebat  
beatissimæ memoriae Princeps: *se cum Iulia sua ire cubitum,*  
*cum illa surgere mane, neque umquam eius posse obliuisci.* (p)

D. IVLIO, qui propter diuinas suas virtutes omnino mori  
non debuisse videbatur, ao. MDLXXXVIII. mortuo, succe-  
sit dignissimus filius HENRICVS IVLIVS, de schola hac no-  
stra optime meritus. Haetenus enim Henricopoli schola suf-  
ficit prima, tribus classibus distincta. Cum vero noua vrbs  
vtraque, (q) a primis incunabulis ad robur progreffsa, multi-  
tudine ciuium ac domiciliorum maiori adaugeceret magis:  
scholam quoque amplificandam, & nouis ædibus ornandam  
Dux sapientissimus constituit. (r) Aedes illæ in coemeterio,  
ecclesiæ nostræ metropolitanæ adiacenti, sitæ frontispicio, con-  
tignationibus symmetricis, & fastigio insignes, suisque audi-  
toriis tum inferioribus, tum superioribus, ao. MDXCVI ex-  
structæ, annum hunc ipsum, insignia Serenissimæ Domi falso  
incisa, & Auëtorem inclitum H. I. H. z. B. v. L., *Henricum*  
nempe *Iulium*, *Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem* primo  
aditu

---

suo non functus. (o) vid. REISKII Hist. Vuolf. Mstam c. XXI.  
§. 9. & PHIL. IVL. REHTMEIERI Chron. Brunsuic. P. III. cap. LXIII.  
p. 1112. (p) vid. IOACH. HILDEBRANDI Orat. de Fundat. Academiae  
*Iuliae* ao. 1658. (q) tam ab Henrico Jun. condita & *Henricopolis*  
dicta, quam a Julio addita & *Iuliopolis* f. *Iulus* Friedenstadt nomi-  
nata. Vid. Append. ad III. Collect. Stat. Henricop. ao. 1738. p. 17.  
(r) vid. REISKII Histor. Vuolf. Mst. c. XXI. §. 9. & REHTMEIERI  
Chron.

## XIII.

aditu ostentabant, atque hanc limini superiori additam Græcis characteribus inscriptionem: ΤΩΝ ΨΥΧΩΝ ΛΟΓΙΚΩΝ ΚΑΙ ΘΕΟΓΝΩΣΙΑΣ ΠΑΙΔΕΥΤΗΡΙΟΝ, h. e. *animorum naturalium & notitiae diuinæ ludus litterarius.* (s) Huic epigraphe ):( )( 3 ante.

Chronic. Duc. Brunsuic. P. III. c. LXIII. p. 1112. (s) doctissimus REISKIUS hanc inscriptionem ita vertit: *Animorum docilium siue discendi capacium & notitiae diuina ludus litterarius*, vnde hanc versionem clar. REHTMEIERVS & NOLTENIUS, sed sphalmate typographico corruptam, retinuerunt. Ego vero iam in indice *Lectionum* hoc verno examine publicato ostendi, hanc interpretationem locum habere non posse. 1. quia animi rationis expertes non in scholasmittuntur, neque erudiri aut instrui possunt. 2. quia ex copula, quæ hic adest, facile colligitur, non tam subiectum, quam obiectum discendorum indicari. Cum enim θεογνωσία obiectum denotet, quæ per τοῦ λογικῶν connectitur: hæc ultima vox idem significabit 3. si λογικῶν ad subiectum referretur, obiectum incompletum eorum, quæ in scholis tractantur, indicaretur. Modestissime quidem celeb. Auctor der Hamburgischen Berichte von gelehrt Sachen ai. hui. Nro. 24. vbi hunc meum indicem publice recensuit, declarat vocem λογικῶν potius ad ψυχῶν pertinere, quæ ultima vox per spiritus, non per animos vertenda sit, & λογικῶν spiritus significare ingeniosos, excitatos, dociles, vivizige, muntores, fæbige Geister, vt adeo duo, quæ ad scholas necessario requiruntur, indicentur, 1.) iuuenes ad litterarum studia nati 2.) notitiae diuinæ doctrina. Sed hanc sententiam eadem fere premunt difficultates, quæ Reiskianam. Accedit quod λογικός proprio suo significatu rationales tantum indicet. Hanc meam versionem stabililiunt quoque DAVID. CHYTRÆI ad Ernestum Wolfgangum Stolberg. Comitem litteræ, in quibus de Ilfeldensi Schola prædicat, quod sit παιδεύτηριον τῆς θεογνωσίας, καὶ ψυχῶν διδασκαλεῖον λογικῶν. Exstat hæc epistola in MICHAEL NEANDRI de re poetica græcorum Libris edit. Ioap. Vollandi p. 712. Hanc sententiam ita vertit M. GEORG.

BASIL.



XIV.

antepagmenta, multo artificio facta, incumbeant, & antæ seu columellæ rotundæ postibus item saxeis adstabant. Ipsa vero schola diem inaugurealem iussu Principis Kalendas Maias anno illo habuit, easdemque anniuersariis adhuc feriis sollemnes agit, vt memoria fundatæ scholæ ne intercidat, neue posteri dediscant, Deo t. o. m. pro schola hac, huc vsque seruata, persoluere gratias. Hunc igitur finem melius obtineri non posse arbitratus sum, quam si ferias has eo sollemniores Acroasi quadam exigua redderem, in quam hoc programma conscribere suscepit.

Qui variis, iisque splendidissimis aedificiis, in terris suis exstructis, templo Vuolfenbuttelensi pretiosissimo, Iuleo Helmstadiensi sumtuosissimo, aliisque liberalitatis suæ edit monimenta, Princeps indulgentissimus, camenis quoque nostris hac ratione prospexit, vt sedem illis concederet regia sua munificentia dignam.

Sed non de externa solum scholæ facie sollicitus fuit optimus Princeps: internam eius quoque curavit salutem. Cum enim sub eius regimine vrbs hæc nostra magna ceperit incrementa, ita vt peculiaria ipsi noua concesserit priuilegia & statuta, ab Imperatore confirmata: (t) maior iuuenium hic quoque fuit multitudo, qui scholam requirent ampliorem. Pro sua ergo in ciues liberalitate, & in iuuentutem

---

BASIL. BRINCKMANNVS in den Gedancken von der Einrichtung der Schulen. Nordhausen. 1729 in 8. p. 67. eine Stätte, da das Erkentniß Gottes fortgepflanzet, vernünftige Lehrsätze behandelt und getrieben würden. Inscriptio ergo hæc ex veteribus græcis auditoribus videretur desumpta. (t) Exstant illa sub titulo: Fürstliche Priuilegia Statuta und Ordnunge der Heinrichstadt. Gegeben am Tage Pauli Bekehrung. a. 1602.

tutem singulari cura scholam hanc nostram duobus auxit & Præceptoribus & discentium ordinibus, ita ut quinque tunc essent docentes.

Cum vero circa annum MDCIII Serenissimo Duci a M. *Paulo Museo*, Superintendentे tunc temporis generali, omnium scholæ Ephorum nomine litteris esset relatum, scholam Heinricopolitanam per aliquod tempus in deteriorius esse datam, ac magna cepisse detrimenta, quod malum ex crebriore præceptorum mutatione suam traheret originem, qui ut aliis admoveuerentur muneribus, scholæ paulisper operam suam darent: vigilantissimus Princeps de eius restauratione serio cogitauit. Nouis ergo constitutis Rectori M. *Alexandro Arnoldi*, Hannouera huc vocato, & Collegis, Lectionum & Exercitiorum scholasticorum indicem edi iussit, qui anno MDCV primus editus est. In illo expressa fit mentio restaurationis scholæ, quam de Rectoris & hypodidascalorum nouorum constitutione, item de lectionum, exercitiorum ac legum noua institutione, quam utramque tunc factam inde pater, intelligendam esse remur. (u) Licet enim hoc nostrum Lyceum Gymnasii nomen hoc tempore non acceperit, illius tamen habuit perfectissimam ideam. Neque id propter Collegarum numerum solum, sed propter lectionum, hic propositarum, & multitudinem & grauitatem. Ex disciplinis, ut ex indice isto constat, traditæ fuerunt Logica, Rhetorica, Ethica, Physica, Anthropologia & aliæ. Theatralia & Oratoria exercitia mirum in modum tunc quoque viguere, ita ut quoties fieri potuit, Dramatici, Comicique Actus sint instituti, & singulis hebdomadibus alumnorum unus aut alter e cathedra

ora-

---

(u) vid. doct. VVEICHMANNI Progr. de Seren. Duc. Brunsuic. in scholam Vuolzenb. meritis. p. 3.

XVI.

orationem quamdam memoriter recitauerit. Quin etiam disputandi exercitia hic locum habebant, de variis eruditorum quæstionibus Theologicis, Logicis, Rheticis, Physicis, Ethicis aliisque bis quauis hebdomade instituta.

Obseruauimus in diuersis scriptis, quæ publice exstant, scholam hanc nostram *die Stadtschule* dici (x). Sed cum dupl. id habere possit sensum, illam vel a senatu pendere, vel in ciuitatis vsum esse constitutam: ultimum probamus. Numquam enim illa senatoria fuit, sed semper principalis, quod nomen postea tamquam peculiare epitheton sibi vindicauit. (y) Ita enim in Priuilegiis & Statutis Henricopolos, ab Henrico Iulio datis, legitur:

So viel die Bestellung der Kirchen vnd Schulen antrifft, wissen VVir Vns, vnd Vnsfern Nachkommen an Vnsfern disfals ohne Streit habenden vollkommenen Rechten nichts zu begeben, noch dem Rath mehr, als in Vnserer Fuerstlichen Kirchen-Ordnung, dabey VVir es durchaus bleiben lassen, begreissen, einzuräumen, jedoch können VVir geschehen lassen, dass etliche aus des Raths Mittel neben Vnsfern Superintendenten vnd andern, so Vnser geistlich Consistorium jedesmahl dazu verordnen wird, den Examiniibus scholarium, so jährlich zweymahl, als 14 Tage vor Ostern, vnd 14 Tage vor Michaelis, gehalten werden sollen, mit beiwonnen, vnd dahin sehn helfen, dass die Iugend wol vnterrichtet, vnd erzogen werden möge. (z)

Re-

(x) vid. *Histor. Remarques ueber die neuesten Sachen in Europa.* a. 1701. p. 144. & *BVDDEI algemeines historisches Lexicon* sub voce *Reiskius*.

(y) a.d. AVGVSTI præsertim temporibus hoc sibi vindicauit nomen, quod ab illo tempore ipsi semper fuit tributum. Idque iure: quia Serenissimus is Dux, vt in sequentibus docebo, larga ex Ridagshusano coenobio Rectori & Correctori constituit stipendia, vt adeo ex Eius ære viuant. (z) de ao. 1602. p. 19. 20.

## XVII.

Rexerunt interim scholam nostram M. Petrus Binnius,  
 M. Ioan. Mains, & M. Ioan. Hartunicus. Primus hic inter  
 scholæ Vuolfenbuttelanæ collegas, quantum constat, editis  
 scriptis clarus, ab anno 1595 vsque ad annum 1600 Re-  
 teturam huius Lycei gessit. Poeta fuit eximius: qua scientia  
 & arte aulæ magnatibus sese commendauit. Anno 1598 bina  
 publicauit scripta, primum sub hoc rubro: *Sacra Iob. Hart-  
 uuici Quedlinburgensis*, scholæ Henricopolitanæ Rectoris,  
*hymnorum carmina*. Henricopoli in forma, quam vocant,  
 octaua. Alterum vero: *Versuum quorundam M. Iob. Hartuuici*,  
*Quedl. S. H. Rect. Schediasma*. Ibid. in 8. Anno 1600 pro-  
 dierunt Eiusdem *poematicorum pietati ac virtuti sacrorum li-  
 bellus*: Henricopoli excudebat Conradus Corneus (al. Horn)  
 in 8, qui Ducalis Secretarii Eberdingii filiis dedicatus est: nec  
 non *Poemation Fasciculus in 8*, consecratus *Georgio Eberlino*,  
 Bresniciano, I. V. D. & Reuer. atque Illustriss. Ducis Bruns-  
 uicensis Henrici Iulii Consiliario, quem compatrem suum,  
 & amicum bene ac sincere de se meritum vocat. (a) Omnia  
 hæc scripta poetica Hartuuiciana admodum iam rara sunt,  
 neque saepius inueniuntur. Hartuuicum in Rectura exceper-  
 runt M. Christoph Pflugius ab ao. 1600 - 1603. & Ioan. Spring-  
 ius ab. 1603 & 1604. Hunc secutus est M. Alexander Arnoldi,  
 qui Lectionum indicem, supra memoratum, edidit, & Vi-  
 tus Iohannis ab ao. 1609 - 1613. Duo hi posteriores hinc ite-  
 rum aliorum discesserunt.

Conrectoris officio hoc temporis spatio functi sunt  
*Georg. Tappius*, M. Iul. Richenius, M. Carolus Apostata, Ioan.  
*Reineccius* ab ao. 1598 - 1601. & Ioan. Springius ab ao. 1601 - 1603.  
 ): ( ) : ( ) : ( quo

(a) vid. Consult. NOLTEII *Schediasma de scriptis nonnullorum Schol.*  
*Vuolf. Collegarum notabil. p. 9, 10.*

## XVIII.

quo Recturam accepit, *Ioan. Gudenus* annis 1603 & 1604. *Christoph Chericus* ab ao. 1604 - 1609. & *M. Frider. Hildebrand* ab ao. 1610 - 1614, quo ad Recturam adscendit.

Cantores tunc fuerunt *Otto Sigfr. Harmischius* ab ao. 1594 - 1600. & *Henigius Schaperus* ab ao. 1600 - 1618.

Collegæ quarti numerantur *Christoph. Richterus* ab anno 1598 - 1601. *Ioan. Pottus* ab ao. 1601 - 1605. *Michael Neffenus* ao. 1605, *Ioan Hesius*, Burgdorfiensis ab ao. 1606 - 1610. & *Christoph. Statius* ab ao. 1610 - 1614. Collegarum quintorum, qui simul æditui tunc fuere, locum occuparunt *Venceslaus Boxbergius* ab ao. 1598 - 1627. & illi ao. 1611 *Adiunctus Christoph. Sellius*.

Deferor iam ad FRIDERICVM VLRICVM, dignissimum tanti Principis heredem. Is ad regiminis gubernacula anno 1613 accesit. (b) Eius æuo Germania in se ipsa cudebat tela, ea que cruentum in modum vibrabat. Fieri igitur aliter non potuit, quam vt, cum hæc nostra vrbis variis vexaretur incursionibus, schola nostra multum quoque inde caperet detrimenti. Ast optimus Princeps musas tamen in hoc ludo gratiotissime, quantum licuit, fouit ac tutatus est. Nec sane parum sub illius auspiciis floruisse videtur Lyceum nostrum, iis certe annis, quibus res nondum vbique in funestum illud bellum eruperat. In oratione enim quadam, sub *Friderici Hildebrandi* Rectura habita, in qua & tum regnantis & proxime defuncti Principis in scholas beneficia, atque huius scholæ statum descripsit, sequentia legisse narrat clarissimus VVEICHMANNVS: (c)

Testa-

---

(b) vid. HVBNERI Tab. Geneal. Tab. 188. (c) in Program. su-  
pra citato p. 3.

## XIX.

„ Testatur illustre hoc Gymnasium, cui superioribus se-  
 „ ptimanis nouus Gubernator est præfetus. Quæritis igi-  
 „ tur scholam, in qua rudimenta pietatis, & purior doctri-  
 „ na catechetica erudite & vtiliter proponitur? En hanc no-  
 „ stram Guelficam! Quæritis scholam, in qua linguae & ar-  
 „ tes concinna methodo, & dextro ordine discentibus fidelil-  
 „ ter inculcantur? En hanc nostram Guelficam! Quæritis  
 „ denique scholam, in qua discipuli, legibus adstricti, hone-  
 „ state morum imbuuntur? En hanc nostram Guelficam!  
 „ Quæritis scholam, in qua tum Præceptoribus honesta tri-  
 „ buuntur stipendia, & mineralia, tum discipulis alienige-  
 „ nis, orbis, & pauperibus ciuium beneficentia liberalia, &  
 „ commoda patent hospitia? En hanc ipsam Guelficam!

Quæ quidem omnia vberime pulcherrimam scholæ,  
 qua tunc conspicua fuit, faciem declarant. (d) Licet enim  
 illa bellicis hisce ac turbulentis temporibus, cum cæsa-  
 reum hic loci esset præsidium, nonnumquam ita vastaretur,  
 vt equis esset stabulo: purgavit eam tamen mox sapientissi-  
 mus Princeps, sibique ad extremum vitæ halitum habuit  
 commendatissimam. Inspectorem scholæ tum fuisse M. *Vul-*  
*belnum Mummiu* legi, qui omnibus in rebus maximam pro  
 Iudi litterarii salute geslit curam, & nihil, quod ad emolu-  
 mentum singulorum, & illorum, qui ad litterarum facultatem

):(:):(: 2

mon-

(d) Cum in hac oratione Athenæum nostrum dicatur *Gymnasium*  
 itidem hoc florentissimum eius indicat statum. Legi præterea in  
 multis aliis scriptis hoc ipsi tribui nomen. Vid. LVD. GOLDNERI  
 Progr. de nonnullis omnium ordinum viris, qui Geram, patriam  
 suam, nominis sui fama illustrarunt. Geræ 1722. p. 7. Monatliche  
 Auszüge anno 1700. mens. Iulio p. 401. IAC. TOLLIVS Epist. itiner.  
 p. 7. & alibi,

**XX.**

monstrabant viam, & eorum, qui bonis imbuendi erant artibus, faceret, vñquam prætermisit. (e) Martis & Bellonæ furor nonnumquam quoque scholam nostram infestarunt. Sed beatissimus Princeps semper tamen ita prospexit, vt nullo vñquam tempore Præceptores fidelissimi defuerint. At vero tum alia incommoda, tum illud auertere non potuit Dux optimus, quod per complures annos nulla plane stipendia docentibus exsoluerentur. Difficillimum igitur illis fuit, se suosque sustentare: præsertim cum propter discentium exiguum numerum, & acerbas ciuium vexationes aliunde parum illis proueniret. Peregrini interea nulli acceſſerunt. Ciues etiam, & vrbis incolæ in illis tumultibus, & fluctuationibus periculosissimis sæpe tutius arbitrati sunt liberis suis, domi remanere, nec per plateas ad scholam tendere. Quid, quod semel atque iterum ex Ocri nostri inundatione de sua, suorumque salute tantum cogitare coacti sunt. Sed mederi tamen his omnibus clementissime voluit Patriæ Pater etiam extremo vitæ suæ tempore. Paucis enim ante obitum suum diebus nouum Rectorem *Ioan. Augspurgium* designauit, eodem die, quo Dux ille obiit, nimirum XI. Aug. anno 1634 introductum.

Functi sunt sub hoc Principe Rectoris officio M. *Frid. Hildebrandus* ab anno 1613 - 1622. Geſſit is antea Conrectoris munus, vir in docendo exercitatissimus, qui Poetæ Laureati honore inclaruit: postea anno 1622. Walckenredensis Prior ordinatus. Filii eius duo inter eruditos magnum quo-

---

(e) Inueni hæc in Orat. Mſta sub cel. VVEICHMANNI Rectura hic habita, quæ exſtat in Orationum, hic habitarum, volumine Mſto, quod diu desideratum, tamdem scholæ iterum vindicare, mihi tam felici esse contigit.

quoque nomen consecuti sunt. M. *Ioan. Hilgardus* s. *Hildegardus* ab anno 1622 - 1627. quo Goettingæ Ecclesiastes factus est. M. *Georg. Northenus* ab anno 1627 - 1634. quo Ecclesiæ primum, postea Superintendentis Borckenstedensis munia consecutus est, & tamdem *Ioan. Augspurgius* ab anno 1634 - 1644. Conrectores fuere *Ericus Bramelius* ab anno 1613 - 1619. M. *Ioan. Hildegardus* ab anno 1619 - 1622. quo Recturam accepit, M. *Henricus Heisius* ab anno 1622 - 1624. quo Superintendentens Burgdorfiensis factus est. *Christoph. Basili. Beckerus* ab anno 1624 - 1627. quo Dasselenis Ecclesiæ Antistes constitutus est. *Ernestus Stapelius*, qui d. XXX. April. 1627 ad Conrecturam fuit introductus, cui per breve tempus præfuit. *Henningius Vuiddekenius* annis 1628, 1629, quo defunctus est. *Henricus Gebhardus* ab anno 1629 - 1631. quo Salderensis Ecclesiæ Antistes factus est. *Ioan. Augspurgius*, ab anno 1631 - 1634. qui vtrique officio postea & Rectoris & Conrectoris præfuit.

In Cantorum numero reperiuntur *Henricus Elsmannus*, Brunsuicensis, ab anno 1618 - 1627. qui & Magistri & Poetæ Laureati titulum sibi eruditione sua acquisuerat. *Ericus Soeteſleſchius*, Vuunstorfiensis, annis 1627 & 1628. *Ioannes Viliterus* s. *Philterus* ab anno 1629 - 1631. & *David. Leibius* Eckerschlebia Thuringus ab anno 1631 - 1662. Collegarum quartorum seriem continuarunt *Ioannes Bergmannus*, Hildesiensis, ab anno 1614 - 1618. *Laurentius Vuideburgius*, Neostadiensis, ab anno 1618 - 1627. qui primus Subconrectoris nomen gessit, ac tamdem Ecclesiastes Halchterensis & Lindensis factus est. *Rupertus Nyssenius*, Vuolfenbuttelensis, annis 1627 - 1628, quo Fimmelfensis & Druttensis Ecclesiæ Pastor euasit, & tamdem *Christophorus Sorgius*, Gadensteden-

## XXII.

fis, ab anno 1628 - 1636. quo Fimmelsensi ac deinde Rocklumensi Ecclesiæ præfектus est. Ex quintis huc pertinent *Ioannes Hopfgartenius* ab anno 1631- 1634. & *Gabriel Leibius* ab anno 1634- 1636. quo Subconrector factus est.

Esto hæc *Historia Scholæ nostræ prima periodus*, seu potius eius tantum schema, *de scholæ nostræ statu sub IVLIO, eiusque celsissima posteritate*. Si qua mihi adhuc in manus inciderint, ex quibus prima hæc periodus illustrari aut augeri possit, hæc vt supplementa, vna cum variis documentis, in posterum luci publicæ exponam. Altera huius *Historia periodus a Serenissimo AVGUSTO usque ad Celsissimum nostrum CAROLVM perget*: quam *tertia de scholæ nostræ presenti statu* excipiet.

Sed iam ad Acroafin nostram scholasticam. Kalendas Maias, quibus, vt supra docui, schola nostra fuit inaugurata, sollemnes declamationibus quibusdam reddere volui, quas iuuentuti nostræ non omnino inutiles fore arbitratus sum. Nomina sua apud me professi sunt tres ex ordine primo optimæ spei ac bonæ indolis iuuenes, qui oratorum locum modeste a me petierunt, quibus illum denegare ego quoque nolui. Primus illorum est *Iul. Frid. Adolph. Abelmannus*, Vuolfenbuttelensis, qui latiali eloquio extra scholas nullam dari salutem euincet. Alter *Fridericus Christianus Fricke*, Nostras, vernacula scholis reipublicæ statum felicissimum reddi demonstrabit. Tertius *Christoph. Lud. Ulricus Dedeckind*,

Schep-

**XXIII.**

Scheppenstadiensis, *de scientiis in scholis tractandis germanica dialecto aget.*

Adeste igitur, *Viri Proceres*, & pro sua quisque dignitate colendi, Vos litterarum & artium, reique scholaſtice statores, ac fautores huic Musarum nostrarum sollemnitati, illaque *Vestro* fauore complectamini. Collustrate hanc panegyrin scholaſticam Vestra præsentia, atque ita pubem, curæ nostræ traditam, ad laudabiles quosuis conatus non acuite solum, sed inflammate. P. P. Prid. Kalendas

Maias Anno MDCCL.



三七二

Ga 4467.


82

W18

M



B.I.G.



HISTORIA  
CHOLAE DV CALIS  
VVOLFENBUTTELENSIS.  
DIATRIBE I.  
CVA  
AD  
GYRIN SCHOLASTICAM  
THENAEI NOSTRI IN AVGVRATI  
MEMORIAM  
ALENDIS MAII HOR. III. POMER. MDCCCL  
INSTITVENDAM  
CORIBVS LITTERIS FAVENTES  
OFFICIOSE INVITAT  
CHRISTOPH. DOMMERICH  
ET. INCLIT. ORD. PHILOS. IN ALMA IVLIA CAROLINA  
ADVNCT. ET SCHOLAE VVOLFENBUTTE-  
LENSIS RECTOR.  
FENBUTTELI LITTERIS BARTSCHIANIS.